

Q. F. F. Q. F. S. S. T.

FELIX LITERATUS
ET
INFELIX IDIOTA

*Aura Septemvirorum, quorum interest,
Amplissimorum,*

P R Æ S I D E
V I R O A M P L I S S I M O,


Dn. Mag. PETRO HAHN,
Scient. Nat. Prof. & Biblioth. Ord.

Patrono suo Magno,
*Depictus & Literatis ad examinandum
exhibitus*

à
JOHANNES SPERMAN
Abba Finlando.

Ad diem 17 Maji Anni 1707.

A B O Æ,
Excudebat HENR. C. MERCKELL,
Reg. Typogr.





*Tu qui stelligeri cursum moderaris Olympi,
Rektor Rektorum, te precor ore pio,
Des facilem ceptis cursum desflaminis auram,
Cedat ut in laudem litera quaeque tuam.*

S. I.



Literatura à literâ
deducta (cujus E-
tymon, Cellario
(α) & Prisciano,
(β) est *Litura*,
Vossio (γ) autem
& Scaligero, (δ)
per syncopen *Li-
neatura*) nobis nihil aliud est, quam
omnium artium liberalium congeries,
cujus de inventione multi multa con-
fusedè congerunt, ut de iis usurpare
possem illud Homericum

A

Ut

(α) In notis ad *Lexicon Fab. Sorani* (β)
Lib. 1. cap. de litera (γ) *Aristarchi lib.*
1. cap. 8. (δ) *Lib. 1. de Ling. Lat. cap. 4.*

Τι πρῶτον, πὶ δὲ ὑστατιον καταλέξω
 Ἀγνοεω — — —

Nos tritam illam & vulgarem tenemus viam, quod Literatura habitualis, partim concreata, partim experimentalis, jam in primo homine fuerit, illam nemo negabit, nisi fungum pro cerebro habeat, hanc suo calculo comprobant Auctores (ε) quam ex perfectâ totius universi contemplatione manasse, suis non destituti rationibus affirmant; Hic illam gratâ commendatione posteritati reliquit, quæ hîcæ tanquam gradibus ad summum culmen pervenit. Primum admirata est & suspensio judicio inspexit. Ex admiratione orta est cupiditas, aut desiderium causas inveniendi, quas multis postea confirmarunt experimentis. Unde admiratio ex ignorantia, ex quâ diligens

(ε) *Nominativ D. Calovius Metaph. Divina Sect. 1. Proemiali de Met. Efficiente. Scheiblerus de Phil. in genere. Ant. Le-grand Inst. Phil. pracognosc. Phil. Burgundica de Nat. Phil. Quest. 3. &c.*

ligens inquisitio causæ, tum inventio
multiplici experientia est confirmata.

§. 2. Post diluvium *Literatura* à
Noacho ejusque posteris fuit exculta,
quem bonas literas à Setho accepisse
tradunt Historici, qui artem illarum
in columnâ lapideâ descriperat, ut ab
aquis futuri diluvii maneret illæsa,
quam columnam multis post seculis in
Syriâ exstitisse atque sibi visam fuisse
refert Josephus (ξ) quod ut quoddam
commentum repudiat Goropius. (η)

§. 3. Hic Noachus, felix quidem
fuit Literatus, sed defuncto patre filii
infelices Idiotæ redditi sicque familia
ejus in Sapientiæ studio non permansit
integra, sed magis magisque ad Mate-
ologiam vitæque impietatem versa est,

A 2

Sem

(ξ) *Antiq. Jud. Lib. 1. cap. 3. Confer de co-
lumnâ hæc Philip. Melancht. in Chron.
Carionis, quem fide cito Hist. Ecclesiast.
Gothanæ Lib. 1. cap. 1. Sect. 1. (η) Lib.
1. Hieroglyph. pag. 109.*



Sem tamen, cum suis posteris, veri re-
ctique è paternâ disciplinâ fuit aliquan-
to tenacior, sicut è contrario Chamus
præ cæteris sapientiæ ac virtutis lau-
dem amisit, & hæc origo est infelicis
Literaturæ, quæ à summâ felicitate,
discessus fuit, & Francisco Baconi (9)
Sophistica Empirica & superstitiosa au-
dit. Quarum utraque nostræ est con-
siderationis, originem earum & ulte-
riorem progressum ad posteros, nos
ne crambem apud Auctores coctam &
conditam hic totam recoquamus, relin-
quimus in medio & propius ad sub-
stratam materiam transitum faciemus,
hæc solum appoluimus, ut prima lite-
rarum infelicitas manifesta redderetur
Lectori.

§. 4. Naturam itaque Felicis Li-
terati propius indagaturi observamus
fundamentum, cui felix Literatura
erit innixa, esse *temperamentum*, quod
in corpore sedem habet, quod homo-
gene-

(9) *Lib. I. de Sapient. Novi Org.*

geneum non est, ex pluribus enim humoribus, apud Medicos notis, coalescit, scilicet *Sanguine*, *Pituitâ*, *Bile flavâ seu Cholera*, *Bile atra seu Melancholia*, qui humores in genitâ qualitate distinguuntur. Quippe *sanguis*, qui per venas & arterias fluit, calidæ & humidæ indolis habetur: *Pituita*, frigidæ & humidæ, *Bilis flava* calidæ & siccæ, *Bilis atra*, siccæ & frigidæ; Ex hisce quatuor temperamentis, mores atque inclinationes derivari plerumque solent hominum, ut observant Stratemannus (1) & Alstedius, (x) quæ rursus à diversa sanguinis operatione pendent, sic *Sanguinei*, ad libidines, *Cholerici* ad iracundiam, *Phlegmatici* ad metum & ignaviam, *Melancholici* ad tristitiam & invidiam proclives dicuntur. Dicit quoque Morhofius (λ) *magnam temperamentorum & ingenii varietatem è mundi pla-*

(1) *Phil. Nat. Part. Spec. Lib. 3, cap: 5.*

(x) *Physicæ Part. 7, cap 8.*

(λ) *Polybist, Lib. 2, cap. 1.*

plagis, loco nativitatis, educationis & nutritione ipsa oriri.

§. 5. Hæc temperamenta, diversa ratione inter se permixta, magnam propensionum, ingenii quoque, producunt varietatem. Quædam tamen commixtiones præ cæteris insigniores sunt, & frequentiores, ut quæ inde progignantur propensiones, primitivis ferè æquiparandæ veniant, ut temperamentum *Melancholico Cholericum, Cholericum Sanguineum & Sanguineo Pblegmaticum.* Hinc septem temperamenta præcipua nonnullis constituuntur, quatuor Primaria & tria Secundaria, quibus Septem Planetas respondere volunt, nimirum *temperamento Melancholico, Saturnum, Melancholico Cholericum, Jovem, Cholericum, Martem, Cholericum Sanguineum, Solem, Sanguineum, Mercurium, Pblegmaticum Sanguineum, Venerem, Pblegmaticum, Lunam.* Nec tamen censendum influxum siderum hic aliquid efficere, nec fato quodam

dam regi temperamenta; Dei enim decretum nullam voluntati necessitatem inferre, differit Ant. Legrand. (μ) cum Joh. Sperling. (ν)

§. 6. Et sic omnibus unum non inest temperamentum, nam varius est qualitatis excessus, qui diversam corporis habitudinem causatur, quæ rude & obtusum quibusdam efficit ingenium, quapropter non eâdem facilitate omnes eruditionis, *nectarei illius*, Martialis judicio, (ζ) *falerni* capaces fiunt, nam nonnulli veluti subfelicio-ri sidere nati, mentis perspicaciâ, aliisque dotibus cæteros multum superare videntur, quod observavit in suis scriptis (θ) vir Celebris Joh, Henr. Voigt.

§. 7. Hinc est quod quidam omnibus ingenii viribus destituti sint, ut nec
ima-

(μ) *Instit. Phil. Part. 2. cap. 5.* (ν) *Instit. Phys. Part. 1. cap. 10.* (ζ) *Lib. 13. Epig. 108.*
(θ) *Præcipuè annalibus fastis.*

imaginatione, nec intellectu, nec
 memoriâ valeant: ut planè literarum
 incapaces sint, primumque meritò in
 hoc hominum genere locum occupent.
 Alii imaginatione utcumque pollentes,
 capere tradita possunt, sed cum memo-
 ria desit, & concepta statim elabantur,
 ad literas itidem inepti sunt. Judici-
 um enim si quod illis est, cum materiâ
 in qua vim suam exerat, illi ob memo-
 riæ defectum non suppetit, vim quo-
 que, & usum omnem, saltem quan-
 tum ad literas amittit. Atque his secun-
 dus locus debetur. Rursus alii memo-
 riâ quidem pollent, sed vis celeriter
 percipiendi, quæ imaginationis est, aut
 judicativa facultas intellectui propria
 aut utraque illis deest. Si vis percipien-
 di desit, ut aut nihil aut paucissima cape-
 re queant, rursus inidonei sunt, Hu-
 arti iudicio (π), cum nec memoria,
 nec *δύναμις κριτική*, tum ullum iis u-
 sum præbere queat. Hi ad tertiam
 classem. Si iudicium desit, memoriâ
 autem

autem & imaginativa polleant, non planè inidonei sunt ad literas, nec tamen multum, ut operæ pretium sit, proficient, licet forte apud imperitiores faciliè eruditionis gloriam consequantur. Hi ultimam classem constituunt.

§. 9. Posito itaque fundamento felicis literaturæ, requiruntur deinde antequam superstrui possit habitus, *principia discentiæ*, quæ alia sunt ex *parte animi*, alia ex *parte corporis*; nam *uti genus hominum compositum est ex corpore & animâ* (inquit Sallustius (e) *ita res cunctæ, studiaque omnia nostra, corporis alia, alia animi naturam sequuntur.* Ex Parte animi duo sunt principia, facultas cognoscens & facultas cognita conservans. In facultate cognoscente, primum observandæ sunt *conditiones*, deindè *species*; *Conditiones* sunt numero tres, inter quas *prima* est, ut facultas co-

B

gno-

(e) Lib. de Bello Jugurthino.



gnoscens sit propensa ad disciplinas percipiendas, quæ propensio duplex est, alia *indefinita & universalis*, alia *definita & specialis*, Propensio indefinita Græcis appellatur ὁρμή πρὸς πάντα μαθήματα, & εὐφύια ὅλως propensio definita iisdem dicitur, ὁρμή πρὸς τὸ καὶ ὠρισμένον μάθημα.

§. 9. Prior horum est extraordinaria, & proinde in paucis: posterior est ordinaria, ideoque in plerisque hominibus, qui ad unam aliquam disciplinam nati sunt, ad plures minus apti. Quod attinet ad propensionem universalem, Alexander Aphrodisicensis eam (σ) Postponit propensioni ad unam aliquam disciplinam, quia homines, qui sunt ὅλως εὐφυῆς, raro habent τὸ κριτικὸν, quod tamen planè est necessarium ne in varios labamur errores. Dixi rarò, quia sunt aliqui αὐτοδίδακτοι vel potius θεοδίδακτοι, qui absque alienâ disciplinâ fuerunt ὅλως παιδευτοὶ, universaliter docti,

(σ) Lib. 8 Topicorum.

cti, quales fuere Salomon, Antoninus Anachoreta, Johannes Picus Mirandula, quem naturæ miraculum vocaverunt, qui *solâ ingeni bonitate* (narrat ejus fratris filius Johannes Franciscus (τ)) *nullius ferè præceptione, mentorum præceptorum subsidio, ad quæcunque animum appellebat, ea est effectus.* Hujusmodi dicuntur etiam, Heraclitus & Ephesius apud Homerum (υ) fuisse.

§. 10. *secunda* conditio est facultatis cognoscentis, quam volumus esse expeditam, h. e. exsolutam ab impedimentis, ut cognitioni rerum operari possit. *Tertia* conditio est, ut facultas cognosens habeat objectum proportionatum. Nisi enim certa proportio sit inter agentem & rem agendam, adeoque inter cognoscentem & rem cognoscendam, solida actio, ideoque & cognitio sperari non potest. Has singulas condiciones felici iterato necessarias esse, singuli etiam mediocriter

B 2

docti

(τ) *in ipsius vita.* (υ) *Odyss; X. v. 347.*

docti noverunt, quare earum proluxa expositione superledeo.

§. II. Jam enodavimus conditiones facultatis cognoscentis, supersunt ejus species, quæ duæ sunt, *sensitiva & intellectiva*, illa est sensuum exteriorum & potissimum visus atque auditus, vel interiorum, & nominatim sensus communis & phantasiæ, hujus virtus est triplex, *ἑυμάθεια, ἀγχινοια, καὶ κρίσις*, h. e. docilitas, subtilitas & judicii dexteritas. Hæ species si felices sortiantur Progressus, requirunt ut intellectus sit evacuatus præjudiciis, ex quibus scientiæ corrumpi solent, unde haud mirū (Φ) si pauci inter homines sapiant, & rerum causas ut par est cognoscant, cum nihil pene per totam vitam recte speculentur, & non tam ratione, quam præjudiciis, & sensuum testimoniis assentiantur; adeo enim in quibusdam, teste Legrand, (X) valet præjudiciorum vis, ut nihil pro
vero

(Φ) Judice Ant. Legrand. Instit phil: Parte primâ Cap. I. (X) Loco citato.

vero admittere queant, quod illis non in-
nitatur, & opinionibus, quas à incu-
nabulis hauserunt conforme sit. Quare
vana sunt & suspecta esse debent, quæ
à imbecilibus illis, causis pendent ac
proficiscuntur.

§. 12. Vitium etiam non leve in
intellectu fundatum est, quando ex oscu-
lamur unius vel alterius Philosophi effata
tanquam dogmata cælisus emissa, quales
sunt meri Sequaces Aristotelis Rami &c.
quorum hic, illius Philosophiam,
non duntaxat variatam, sed necessariis
etiam partibus truncatam reliquit, cu-
jus tamen scripta multi pedibus mani-
busque obnixè defendunt, quos Fran-
ciscus Baco (ψ) refutat; fateor quidem
nostrum esse scriptis patrum calculum
addere, sed in quantum veritati con-
formia, nec consensus Aristotelis Sequa-
cium is est; ex libertate enim iudicii re-
prius exploratâ consensus fluit, quod ne-
mo affirmabit de Sequacibus Aristo-

telis, & sic non est consensus generalis, sed damnata potius coitio & sequacitas, quam se fugere profitentur Recentiores, qui, ut docet Cartesius, (ϕ) nihil affirmant, nihilq; ab ullo credi volunt, nisi quod ipsa evidens & manifesta ratio cuique persvadebit; quos tamen refutare videtur Cyriacus Lentulus (χ) cujus argumenta meo quidem tenui iudicio non adeo firma sunt.

§. 13 Quod *sensus* necessarii sint, id luce meridiana clarius constat; illi enim sunt tanquam animi fores & omnis fere cognitionis nostræ initia. Unde est illud pervulgatum in Scholis: *Nihil est in intellectu, quod non fuerit in sensu*, Quod Cicero sic extulit (ψ), *Quicquid animo cernimus id omne oritur a sensibus*. Ad cognitionem autem comparandam necessarii sunt *visus* & *Auditus*. Nam *visus* facit ad disciplinas *inveniendum*,
Audi-

(ϕ) Princip: Part: 4 Art: 207. (χ) Libro de Nova sapient; Ineptiarum (ψ) Lib de sensibus

Auditus ad disciplinas inventas percipiendum, *visu* discimus à nobis, *Auditu* à aliis; Hinc legimus nonnullos à prima ætate carentes visu, puta *Didymum Alexandrinū* & *ceteros* (ω) fuisse doctissimos: *Surdū* vero evasisse doctum nusquā legimus. Rectè igitur *Albertus Magnus* (α) *auditum* appellat *sensum maxime disciplinalem*. Possunt enim *Auditu* percipi omnes disciplinæ, *Opticā* excepta.

§. 14. Quanquam hi sensus adeò nobiles sint utilesque iis, qui literis operam dant, facile tamen eos hisce privari novimus, sic læditur *Auditus* 1 Quando imminuitur 2 aut aboletur in surditate 2 Quando depravatur in tinnitu aurium; *Surditatis* causæ sunt, vel *auris externa* abscissa, vel *meatus auditorius* obstructus à *Cerumine*, aut *externis* illapsis, vel *membrana tympani* rupta exsola aut ulcerata, vel *nervus auditorius* male insertus, aut obstructus, aut

com-

(ω) *Conf: Hieron: in Cathalego Script. Ecclesiasticorum.* (α) *Lib 1 Metaph; Cap: 1.*

compressus. In tinnitu aurium, sonus percipitur, qui non est. Causæ sunt vel aër, auris, internus vitiose motus, vel tympanum variis ex causis commotum & vellicatum. Hinc percussio capitis, casus ab alto, turgescencia sanguinis in cephalalgia vel febribus acutis, & quicquid aut tympanum irritat, aut auram internam commovet, inter causas externas refertur. (6)

§. 15. Læditur etiam visus variis modis sic v. g. Quando aboletur in cæcitate, imminuitur in visus hebetudine &c. addit his Stratemannus (γ) *excellens sensile ledere sensum, at medios criter temperatis adjuvare, quia propter nimiam vehementiam temperamentum organi immutat.* Sic album omninò disgregat visum: Nigrum autem omnino congregat. At viride visum

(6): Conf: Andreae Laurentii Hist: Anatom: Lib II, Cap 12: & Mich. Etmulleri Coll: Pract. Lib 2, sect 5 Artic. 2. (γ) Phil. Nat: pars: spec: lib 3, Cap. 3.

sum delectat cumque quasi pascit. Excellens sensile sensum lãdere testatur experientia rerum Magistra, v. g. *Tyrannus Dionysius* Siciliae Rex, cum aliquot captivos in tenebricoso quodam carcere detineret, eos in lucidissimum quoddam conclave ex illo abduci curavit, atque sic excæcavit.

§. 16. *sensus* internos in facultate cognoscente sensitivã, *sensum communem* & *Phantasiam* supra nominavimus, ille est instar centri ad quod sensus exteriores feruntur. Itaque munus eius est, excitare sensus exteriores, eorumque actionẽ perficere. Deinde beneficio hujus sensus sensibilia propria singulorum sensuum comparamus, eorumque convenientiam & differentiam animadvertimus. Præterea *sensus communis*, circa sensibilia communia maximè occupatur. Averroës etiam tribuit *sensui communi* perceptionem privationum, ut tenebrarum, silentii, & cæterorum, quæ sensu externo cognosci neque-

C

que-

queunt. Denique certum hujus sensus officium est, excitare Phantasiam, eique sensibilia offerre & sub ministrare. Phantasix veró munia hæc sunt 1. Judicare objecta à sensu communi subministrata. 2. Expendere absentia beneficio memoriæ, quæ cum Phantasia pene conjuncta est 3. inservire menti subministrando ipsi phantasmata, &c.

§. 17. Cum jam *facultas cognoscens*, & *facultas intellectiva*, singula per suas causas, principia & affectiones cognoverant, sequitur ut res illas cognitatas & intellectas, tanquam arcanum Cereris, retineat facultas conservans, quæ est *memoria*, quæ facultas est retinendi species semel receptas, cujus organum juxta Medicos est *pars cerebri posterior*, (occipitium) quæ ob hanc causam; scilicet ut infixas species tenaciter servet, cæteris solidior facta est. Hæc communiter dividitur in *sensitivam*, quæ in brutis, vel *intellectivam*, quæ in hominibus datur. Hæc
vel

vel naturalis, vel artificialis, illa est vis, sive facultas animæ, acceptarum rerum servatrix & depromtrix, hæc est eadem quæ naturalis, sed arte & industriâ humanâ augetur & confirmatur, idque dicitur fieri 1. convenienti corporis motu, 2. Moderato somno, 3. victus ratione &c. hujus artis, ut vult Morhofius (δ) primi natales à Græcis arcessendi sunt, qui quoque addit, sine hâc, facultatem cognoscentem frustra esse. Illius enim munus est percepta, & inventa, & judicata, partim recipere, partim conservare, partim reddere. Unde Ciceroni (ε) *Thesaurus est eruditionis*, & vulgo comparatur loco seu receptaculo, itemque ceræ imagines recipienti; hujus autem felicitas duo requirit, Scilicet 1. Organi mollitiem 2. Organi duritiem. Organi durities, ad imagines rerum suscipiendas, retinendas & conservandas. Ob defectum mollitiei seu humidi nativi, lenes difficili sunt

C 2

meo

(δ) Polybist. Lib. 2. cap. 6. (ε) Lib. 1. de finibus.

memoriâ. Ob duritiei defectum, vel ob humiditatis excessum, pueri minus memoriâ valent. Læditur etiam hæc facilè, cujus tamen læsionis (teste Etmullero (ζ)) causa proxima nos lætet, remotæ sunt quas enumerat idem Etmul. (η)

§. 18. Sed cum nec omnis Literatura *Memoriâ* possit acquiri, requiritur præterea *judicium*, sic in Metaphysicâ, Physicâ, Logica &c. quare nullatenus probo *Vinkelmanni* institutum, qui *Logicam* conscripsit *Mnemonicam* Halæ Saxonum (θ); *judicii* enim vim potissimum talis disciplina requirit, neque ideo à pueris apprehendi satis potest. Sic studia Mathematica quoniam in figuris versantur, stultum esset illas memoriâ retinere, sic enim verus rerum nexus confunderetur, ac quasi nebulis quibusdam involveretur.

§. 19.

(ζ) *Coll. Practicum* Lib 2. sect 6 (η) loco citato.

(θ) Anno 1659.

§, 19. Expositis jam *primariis* adminiculis *felicis Literatura*, *secundaria* se nobis ultrò offerant, quorum *primum* est, ut proles parentum tradatur informationi Præceptoris, qui habet, ut cum Cicerone (1) loquar, *insitam informationem Dei & barbati quidem Jovis galeatæque Minerva*; hic naturam rebellem castigatione moderatâ dirigat, & insimul attendat, ne bonos ejus mores prava corrumpant colloquia; (x) quamquam id à nonnullis postponatur, qua de re justissima, quere rela est, Illustris viri Seckendorffii. (λ) Hoc adminiculum necessarium est necessitate sine quâ non, quanquã oggerant exempla *Julii C. Scaligeri & Hippocratis*, quorum ille Græcam Linguam addidisse fertur nullis adjutus præceptis, nisi quæ ipse sibi inter discendum præscriberet. Hic Medicam artem ad tantam perfectionem deduxisse in quâ
nunc

(1) *Lib 1 Nat. Deorum Cap. 36.* (x) *monente Plutharco libro Moralium de informatione puerorum.* (λ) *de statu Christianismi tib. 3 cap. 9. S. 39.*

nunc est; Heroica tamen istiusmodi ingenia imitari datum est iis solum, quibus ex optimo luto

— *finxit praeordia titan.* (μ)

§. 20. Hinc proximus deinde gradus est, non multorum sed *multa lectio*, nam teste Martiali (ν)

Quisquis ubique habitat maxime nusquam habitat.

quod effatum ad studia nostra accommodari non difficulter posse arbitror; videmus enim non paucos esse, qui ita libris insenscunt, & de uno in alium feruntur, tandem autem cum omnia didicerunt, non dum sciunt id, quod nemo penè ignorat: Sicut conchis illis litori adhærentibus, si testam adimas, vitam adimis, ita cum illis agitur, si à chartis suis abducantur, quare nō incommode monet Seneca Lucilium suum (χ) ut caveat nè *ista lectio multorum Auctorum*

(μ) *Cens. Ideam bon. Diss. Daba: v, Sect. 1. Art. 3.* (ν) *Lib. 7. Epig. 74.*

(χ) *Epist. 2.*

Florum & omnis generis voluminum, habeat aliquid vagum & instabile.

§, 21. Cautione itaque digna res est, ut attendant singuli scopum librorum, nè in alienam àb orthodoxâ doctrinâ sententiam recedant, præcipuè illi, quibus fundamenta doctrinæ orthodoxæ non adeò bene jacta, qui faciliè seducuntur à *libris* (ut vult Morhofius (o) *damnatis*, illi autem sunt præcipue scriptores Athei, qui doctrinam cœlestem extirpatam volunt. Hisce etiam referri solent *libri Magici*, qui omninò atro carbone notandi sunt, si pactum illud cum Dæmone & malis Angelis profiteantur.

§. 22. Hisce & cæteris probè observatis ad solidæ illius sapientiæ fastigium summum pervenire possunt singuli, sive nobiles, sive alii, (quam illis nonnulli præstantius tribuant temperamentum corporis, quos refu-
rant

(o) *Polybist. lib. 1. cap. 8.*

tant Grotius (π) & Pufendorfus (ρ) si solum fingali finem observaverint, qui nobis non est gloria Dei, quæ simpliciter ultimus est, sed in suo genere ultimus, seu certum vitæ genus, sive facultas aliqua, in qua Deo & proximo serviamus.

§. 23. Repudianda hic est eorum sententia, qui eruditionis pariter ac existimationis amplioris consequendæ gratia, *spiritibus utuntur familiaribus*, quos Græci *παρῆδες* (eò quod adsint assidue) nuncupant, quosque sine gravi possessorum noxâ, nunquam recessisse constat, siquidem ut plurimum cum illis Dæmon certo paciscatur tempore, quo finito, vel alium isti herum paredrò reperiant, vel ipsi cedant Dæmoni necandi; ejusmodi funestum exitum omnes adeò graviter Deum delinquentes sortiuntur, ut Satanæ ludibriis aliquamdiu vexati, illiusque, & tem-

(π) de I. B. Lib. 2 Cap. 7. §. 8. (ρ) *Polis. Inculcata De Existim. §. 32.*

porales & sempiternas perfidiæ suæ nefandæ luant pœnas.

§. 24. Finem nec operi adæquatum illi attendunt, qui ideo literis navant operam, ut *rem suam familiarem augeant*, & quæ vitæ sunt necessaria, inde comparent, quod propositum, judice Cl. Rolando Maresio (σ) *humile est & illiberale, nec satis literarum nobilitate dignum*. Ut autem singuli Literati Felicis titulo exornentur, fugiant *vitia* sequentia, ne nomine *Infelicis Idiota* (nam *Idiota* nobis est, non solum is, qui literaturæ nullam habet cognitionem, verum etiam is, qui aliquam habet cognitionem, sed ignavâ est operâ) notentur.

§. 25. Absit hinc *Invidia*, cujus mancipia tantâ horrendâ depravatæ mentis malignitate laborant, ut in rebus aliorum secundis doleant, inque iis præcipue, quibus aliqua literariæ

D

feli-

(σ) *Lib. 2. Epist. 16, pag. 315.*

felicitatis pars continetur, quam Literati tam strenue exercent, ut non tam *figulus figulo invidet*, quam *Literatus Literato*, quod verbis non modo ostendunt, sed scriptis etiam inhonestis, proximi errantis famam lace- rant, & personalia realibus præter necessitatem (ut vulgo vocant) immiscent.

§. 26. Absit hinc *Philautia*, absit *avaritia*, nimia *curiositas* & *ambitio* absint, imo absint omnia illa, quæ humanitatis radios suffocant, & execratissima illa vitia virtutum sèpario ornant. (τ)

§. 27. Quantum iis literatis immineat periculum, qui vitiis mancipati sunt, exemplum declarat *Homerus*,
cu-

(τ) *Conf: Morbos Polybist. Lib. 1. cap. 15.*

& *Theoph. Spizelii Felicem Literatum.*

cujus (v) vita si ullius unquam antea, univērſa fere calamitoſa, materies fuit ac Theatrum, humanā dignum comiſeratione, ſiquidem eum extremā paupertate, non ſolum ſit conflictatus, verum luctuoſiſſimam etiam luminum ſuorum jacturam ſubierit, ideo miſer, quia cœcus, & ideo miſerior, quia ſimul ſemper mendicus, ideo miſerrimus, quod fortunæ ſuæ peſſimus faber ipſe fuerit, ob idololatricam pariter, ac impias & deteſtandas, de divinitate aſſertiones, etiam de gentiliū quorundam ſententiā graviſſime punitus. Non ſolum propterea tam miſer ille extitit, quod teterrimos Cacodæmonas, aut certe opera manuum humanarum, Deos appellaverit, cujuſmodi *Idololatrias* Sapiētia Salomonis (ψ) *infelices* pronunciat; Præterea etiam ſcripta prorudebat pudendis ex-

D 2

cran-

(v) *Teſtibus Herodoto, Plutarcho, Chryſoſtomo &c. de vitâ Homeri.*

(ψ) *Cap. 13. v. 10.*

crandisque narrationibus contaminata. Deos Deasque induxit inter se rixantes; quare suæ pænas pendebat perfidiæ gravissimas.

§. 28. Ejus farinae homines vereor etiam hoc mundi tempore dari, quorum plurimi non absimiles sunt *Curtio illi Marignollo*, de quo *Ianus Nicius Erythreus* (X) mihi auctor est, cum *cum à naturâ egregiam ad Poësin indolem hausisset*, nullum unquam argumentum, nisi obscænum atque turpe tractavisse; Quod *Steph. Guazus* (Φ) suo etiam calculo comprobat, asserens *homines amando sapientiores reddi, & ad Poëtices studium præcipuè incitari*, cujus ex sententiâ tanquam veritati & honestati inconsonâ nos recedimus, iussu auctoritatis dicti *Paulini: Non sunt facienda mala ut inde eveniant bona.* Hæc levissima illa sunt, quæ

(X) *In Pinacothecâ imaginum illustrium part. 1. pag. 179.* (Φ) *Lib. 2. de Civili Conversatione.*

quæ pro temporis & rei domesticæ angustia in chartam conjeci, quibus (quamquam ex Jovis tabulis decerpta non sint) ut album addas calculum B.L. obnixè & officiosè contendo.

Omine felici contractis occupo velis

*Portum, quem tetigit cymbula nostra levis.
Magne Deus nostram, qui tuis fluctibus
album*

*Prospice rexisti cunctipotente manu,
Non te cessabunt nostra memorare camæne
Et tua laus grato semper in ore manet,*



In
 Disputationem elegantem
 De
 Felici Literatura
 Juvenis

Literis & moribus ornatissimi

Dn. IOHANNIS
 SPERMAN,

Amici & Comilitis optimi,

Q*uis felix Cultor sit divæ Palladis artis,
 SPERMANNUS monstrat, quis sit
 ubique miser?
 In studiis alii quærentes otia fœda,
 Dum perdunt operam; sic locat ille
 bene.*

Præpropere occupatissimus reliquit
 GABRIEL HAARTMAN.

